Praeterea, ille actus, qui est mere potentiae per aliquid distinctum a potentia, non est idem cum potentia ; sed actus diligendi inest angelo mediante alio diverso per essentiam ab ipso ; ergo etc.

Secundo arguo ex parte intellectus sic, quod eius [sc. intelligentiae] intellectus sit accidens. Aut intelligentia intelligit causam primam per rationem eius, puta ipsius primae causae, aut per essentiam suammet. Si primum, ergo eius intellectio est accidens; omnis enim intellectio habens pro opposito primo aliquid distinctum ab intelligentia est accidens. Si autem intelligit per essentiam suam ut per rationem intelligendi sicut visus videt per speciem, aut per essentiam suam non sicut per rationem intelligendi, sed sicut per obiectum cognitum, sicut intelligitur conclusio per principium: si primo modo habetur propositum, quia, quaecumque vel ubicumque aliquid intelligitur per aliquid distinctum ab intellectu sicut per rationem intelligendi, illud intelligitur per actum intelligendi qui est accidens, sicut visus videns colorem per speciem aliam a re visa sicut per rationem videndi, videt per actum videndi qui est accidens.

Si secundo modo dicatur, contra hoc arguo dupliciter. Primo, quia in eodem secundum numerum (numerum: intellectum *cod.*, *sed* numerum *in Rep. II B, 13rb*) non potest esse circulus in eodem genere causae. Ista patet: licet enim in eodem secundum speciem sit huiusmodi circulus sicut in actu et habitu - actus enim, ex quo generatur habitus, est idem specie cum actu generato ex habitu -, non tamen est idem numero. Impossibile enim est quod ex illo actu eodem numero generetur (genere *cod.*) habitus, quia ex habitu generatur, nec e converso. Et ita circulus in eodem numero secundum idem genus causae est impossibile, licet non in eodem secundum speciem. Sed intelligentia prima intelligit secundam et omnia alia a se per essentiam suam, ita quod essentia primae est (est *om. cod.*) ratio intelligendi secundam; ergo impossibile est quod secunda sit ratio intelligendi primam, nec etiam quod per ipsam sicut per obiectum cognitum intelligitur prima.

Secundo, quia impossibile est obiectum simpliciter perfectius intelligi intuitive in obiecto imperfectiori; sed intelligentia subiecta intelligit seipsam intuitive; sed si per essentiam suam intelligeret essentiam primae causae sicut per obiectum cognitum, eodem modo quo intelligit se intelligeret essentiam primae causae et ita intuitive; ergo obiectum simpliciter perfectius intelligeretur intuitive per obiectum simpliciter imperfectius; sed hoc est impossibile; ergo etc. Sic ergo intelligentia componitur ex accidente et subiecto realiter.

Hoc etiam magis patet secundum fidem. Constat enim secundum fidem quod intelligentia potuit mereri et demereri, gloriari et non gloriari; sed huiusmodi sunt omnia accidentia (accidentia: activa *cod.*, *sed* accidentia *in Rep. II B 13rb*), quare etc.

Hoc de secundo.

(Articulus tertius: Utrum talis substantia sit composita ex materia et forma)

(Quod anima intellectiva non est composita ex materia et forma)

Quantum ad tertium, dico primo quantum ad animam intellectivam quod anima intellectiva non est composita ex forma et materia aliqua spirituali, ut ponunt quidam [cf. *Petrus Johannis Olivi, Quaestiones in II Sententiarum, qu. XVI, ed. B. Jansen, vol. I, p. 292-355; Petrus Aureoli,*

In II Sent., d. III, qu. 1, a. 3, Romae 1605, p. 58-59], immo est forma simplex in genere formarum.

Hoc probo [27ra] primo sic. In ordine essentiali formarum secundum Commentatorem I *Physicorum* commento 1, omnes formae et materiae mediae inter ipsam primam materiam et ultimam formam sunt compositae. Prima autem materia secundum eum non est composita ex aliqua alia forma nec materia, ergo nec ultima forma in ordine formarum : non enim magis ultima forma est composita in ordine formarum quam ultima materia sive prima in ordine suo. Sed anima intellectiva est ultima forma in genere formarum ; ergo ipsa in ordine suo non est magis composita quam materia in suo ordine.

Praeterea, in formis eiusdem ordinis, si una earum non est composita, nec alia, et si una simplex, et alia. Sed omnes formae sunt eiusdem ordinis ; ergo, si una non est composita, sed simplex, et omnis. Sed anima vegetativa, sensitiva et intellectiva sunt essentialiter ordinatae : vegetativa est infra sensitivam et sensitiva infra intellectivam. Anima autem vegetativa plantae (plantae *add. et cod.*) non est composita, nec etiam anima sensitiva bruti, ergo nec intellectiva.

Praeterea, si anima intellectiva est composita ex materia et forma, accipio primam materiam animae, quae est eius pars essentialis, et comparando eam ad corpus quaero : aut huiusmodi materia, quae est pars animae, est perfectior corpore simpliciter, aut est simpliciter imperfectior. Si imperfectior, contra : nullum simpliciter imperfectius actuat simpliciter sive substantialiter subiectum aliquod simpliciter perfectius ; licet enim imperfectius simpliciter aliquo possit ipsum actuare secundum quid, sicut patet de accidente actuante et informante substantiam, non tamen simpliciter. Sed anima, cum se tota sit forma substantialis, actuat simpliciter corpus quod informat ; ergo nihil eius est simpliciter ipso imperfectius.

Si autem dicas quod huiusmodi materia animae est perfectior corpore, arguo tunc sic : perfectiori (perfectiori : imperfectiori *cod.*) materiae correspondet perfectior forma ; quanto enim materia est nobilior, tanto est in potentia ad perfectiorem formam seu actum ; ergo, si materia animae est nobilior corpore, cum tota anima sit forma corporis, sequitur quod pars animae, quae est forma partis eius, quae est eius materia, sit nobilior ipsa tota anima, quae est forma corporis, sicut et materia quam informat est nobilior ipso corpore. Hoc autem videtur falsum (falsum *om. cod.*) ; ergo etc.

Praeterea, aut ista pars animae, quae est materia eius, vivit per se aut per formam suam aut nullo istorum modorum, sed ambae istae duae partes animae vivunt per rationem totius. Si primum, arguo tunc sic : omnis entitas per se vivens et vivificans et informans est anima ; sed ista materia animae per se vivit per se et per consequens, si poneretur per se sine quocumque alio motore in corpore (in corpore *om. cod., sed add. C 123ra*), per se vivificaret illud ; ergo ipsa est vere anima ; frustra igitur ponitur aliquid aliud ab ipsa. Si autem des secundum, puta quod materia ista vivit per formam, arguo ut prius [27rb] : omnis forma per se vivificans aliquod subiectum est anima et esse constitutum ex aliquo per se vivificante seu animante et ex alio vivificato est animatum ; ergo, si materia animae vivit seu vivificatur per eius formam, sequitur quod ista

forma praecise sit anima et constitutum ex ipsa et sua materia non sit anima, sed potius animatum. Hoc est inconveniens, ergo etc. Si detur tertium, puta quod nec ista materia animae vivit per se nec per formam suam, sed ambae eius partes vivunt per rationem totius, tunc sequitur quod ista pars animae rationalis, quae est forma, sit imperfectior forma bruti, cum forma bruti et etiam anima vegetativa vivat per se et det (dat *cod.*) vitam corpori ; ergo etc.

Praeterea, ex non viventibus non potest fieri vivens. Sicut enim ex omnibus non entibus in actu non potest fieri ens in actu, licet posset fieri ex uno non ente in actu et ex alio ente in actu, ita ex utroque non vivente non potest fieri vivum, licet possit fieri ex altero principio non vivente et ex alio vivente. Ergo impossibile est totum aliquid esse vivens omnibus eius principiis existentibus per se non viventibus; ergo etc.

Praeterea, aut anima vivificat corpus per se primo, aut per partes suas sive ratione alicuius ipsarum. Si per partes suas, ergo erunt in corpore duae formae. Si per se primo, ergo anima per se primo vivit ; illud enim per se primo vivit, quo primo corpus vivificatur et animatur. Sic ergo dico quod essentia animae non est composita ex forma et materia, sed est forma simplex.

(Quod angelus non est compositus ex materia et forma)

Hoc ideo dico de angelo, videlicet quod non est compositus ex forma et materia. Quod probo primo sic. Accipio materiam angeli et quaero : aut ista materia vivit per se aut per formam suam. Si vivit per formam suam, constat quod non vivit per eam vita sensitiva, sed intellectiva ; ergo sequitur quod forma eius est anima rationalis. Omnis enim forma per se vivens vita intellectiva, subiectum suum vivificans et informans sive nata informare, est anima rationalis : nichil enim aliud intelligo per animam rationalem quam talem formam. Ergo erunt duae animae intellectivae, quarum una est nata vivificare corpus, ut anima humana, et alia non, sed materiam aliquam spiritualem, ut forma angeli. Hoc autem est inconveniens ; ergo etc.

Si autem dicatur quod huiusmodi materia angeli vivit per se, consimiliter arguitur, quia omnis entitas per se vivens videtur esse animal et omne constitutum ex duobus principiis, quorum unum sit vivificans aliud, est ens animatum. Ergo forma angeli erit vere anima rationalis et angelus est quoddam ens animatum spirituale et immateriale. Et ita tunc non differt (non differt *om. cod.*, sed *add. in Z 112va*) ab homine, nisi quia homo est quoddam ens animatum spirituale et materiale (*immateriale cod.*), angelus autem est ens animatum spirituale et incorporeum. Et hoc autem est falsum ; ergo etc.

Praeterea, aut ista forma angeli est nata per se sussistere sine sua materia sicut anima rationalis sine corpore, aut non. Si non, [27va] ergo anima rationalis est perfectior illa forma. Sed perfectiori formae correspondet perfectius subiectum per ipsam perfectibile. Ergo corpus erit etiam perfectius materia angeli et per consequens totus homo erit perfectior angelo. Hoc autem est falsum ; ergo etc.

Si dicas quod huiusmodi forma angeli est nata per se subsistere sine sua materia propria, ergo est anima intellectiva - omnis enim forma per se vivens vita intellectuali, nata per se sine suo perfectibili existere,

est anima intellectiva - ; et ita sequitur quod forma angeli non differt ab anima rationali nisi solum in hoc, quod anima rationalis est nata informare corpus et ista non. Hoc autem est falsum ; ergo etc.

Sic ergo dico quod nec angelus nec anima est composita ex forma et materia.

Aliqui [*Thomas Aquinas, Summa theologiae I, qu. 50, a. 2*] autem probant istam conclusionem aliter sic. Modus operandi sequitur modum essendi ; sed angelus in operando abstrahit a materia et a conditionibus materialibus : intelligit enim abstrahendo ab istis omnibus. Ergo nec in essendo habet materiam partem sui.

Sed ista ratio nichil valet. Ita enim angelus abstrahit a forma in intelligendo sicut a materia ; abstrahit etiam ab omni potentia et ab omni actu et omni individuo, cum intelligit universale non intelligendo aliquid particulare. Ergo inferas per rationem tuam quod angelus nec est forma nec materia nec actus nec potentia nec etiam res aliqua singularis. Cum enim non sit singularis in intelligendo, quia abstrahit ab omni singulari, sequitur per rationem tuam quod nec erit singularis in essendo. Hoc autem est falsum ; ergo etc.

(Rationes in oppositum)

Sed contra istam conclusionem arguitur primo sic. Cui non repugnat maior compositio nec minor ratione suae perfectionis ; sed compositio ex subiecto et accidente, quae maior est compositione ex forma et materia, cum sit rerum magis diversarum et minus facientium unum, non repugnat angelo nec animae ; ergo etc.

Praeterea, compositio generis et differentiae est maior compositione materiae et formae ; sed ista est in angelo ; ergo etc. Maior patet, quia quanto extrema alicuius compositionis sunt magis differentia, tanto istorum compositio est maior. Sed duae differentiae divisivae alicuius generis magis differunt quam species ipsae ; ergo etc.

Praeterea, ubicumque reperitur propria passio materiae, ibidem et reperitur materia ipsa ; sed in angelo et in anima reperitur pati, quod est propria passio materiae ; ergo etc.

Praeterea, qualem ordinem habent actus aliquorum generum, talem ordinem habent potentiae ipsorum. Sed actus substantialis et actus accidentalis talem ordinem habent, quod semper actus accidentalis praesupponit actum substantialem. Ergo et potentia ad actum accidentalem praesupponit necessario potentiam substantialem. Sed in angelo est potentia ad actum accidentalem ; ergo etc. Sed huiusmodi potentia est materia, quare etc.

(Responsio ad rationes in oppositum)

Ad ista per ordinem. Ad primum, dico quod aliqua compositio potest intelligi esse maior dupliciter, secundum duo quae concurrunt ad compositionem. Ad omnem enim **[27vb]** compositionem concurrunt differentia seu componentium distinctio - nisi enim componentia distinguerentur, non componerent -, et potentia unius componentium ad alterum vel utriusque ad tertium. Ex illis enim, quae sic inter se distinguuntur quod nec unum est in potentia ad aliud nec ambo ad tertium, non potest fieri sive resultare aliquid per se unum, nec per consequens

talia possunt aliquid compositum constituere. Primum istorum, videlicet distinctio componentium, est maior sicut materiale et minus principale, secundum est sicut principale et formale.

Per haec tunc ad rationem. Quando dicitur quod compositio ex subiecto et accidente est maior compositione ex materia et forma, dico quod verum est quantum ad id quod est materiale in compositione, puta quantum ad ipsam differentiam componentium. Quantum autem ad aliud, quod est formale et principale in compositione, quod quidem est potentia unius componentium ad alterum vel utriusque ad tertium, maior compositio et perfectior est illa compositio quae est ex forma et materia, quam illa quae est ex subiecto et accidente. Magis enim materia est in potentia ad formam substantialem, cum sit ad ipsam in potentia simpliciter, quam subiectum ad formam accidentalem, cum sit ad ipsam in potentia tantum secundum quid. Materia enim est in actu secundum quid et in potentia simpliciter, e converso autem subiectum est in actu simpliciter et in potentia secundum quid. Forma etiam et materia sunt in potentia ad aliquid tertium, non autem accidens et subiectum; quare etc.

Ad secundum de compositione generis et differentia, aliqui [*Petrus Aureoli, In II Sent., d. III, qu. 2, a. 5; Romae 1605, p. 71*] dicunt quod compositio generis et differentiae non est realis, sed tantum secundum rationem. Sed contra: istud, quod realiter movet potentiam alio non movente, est realiter ab ipso distinctum; sed individuum coloris movet visum a remotis individuo albedinis non movente ipsum; ergo etc.

Et ideo dico aliter, quod in compositione est considerare duo, ut dictum est, videlicet differentiam componentium et potentiam sive potentialitatem ipsorum. Tunc dico quod, licet genus et differentia vel saltem differentiae divisivae generis magis distinguantur quam duae species, magis tamen genus in actu quam in potentia. Licet enim genus, puta color, sit in potentia ad albedinem, tamen est in actu simpliciter. Potentia autem materiae excludit actum simpliciter: est enim materia in potentia ad actum simpliciter et est tantum in actu secundum quid. Et ideo, quia potentia generis ad speciem est minor potentia materiae ad formam, compositio materiae et formae est maior compositione generis et differentiae non obstante etiam diversitate maiori generis et differentiae quam materiae et formae, si ponatur maior. Vel potest etiam dici aliter, quod unitas generis est compositior et per consequens minor unitate materiae: ad plura enim se extendit genus quam materia.

[28ra] Ad tertium de passione materiae, dico quod duplex est passio sive pati. Quoddam, quod est via ad esse simpliciter, puta ad formam substantialem et ad compositum sequens, et talis est propria materiae nec est in aliquo sine materia; talis autem non est in angelo nec in aliquo incorporali forte. Quoddam (quoddam: quod *cod.*) pati sive passio est non tantum respectu formae substantialis, sed etiam respectu alterius cuiuscumque, ut videlicet est via non tantum ad esse simpliciter, sed etiam ad esse secundum quid. Et talis passio non est propria materiae, immo extendit se ad subiectum quodcumque, et talis solum est in angelis. Ipsi enim sunt in potentia non ad esse simpliciter, sed ad esse secundum quid, videlicet ad actum aliquem accidentalem.

Ad ultimum, quando arguitur: « qualem ordinem habent actus », etc., nego. Aliter enim se habet actus ad actum et aliter potentia ad

potentiam. Actus enim accidentalis praesupponit actum substantialem sicut proprium eius subiectum: accidens enim est actus alteri inhaerens, substantia autem est actus per se subsistens. Et ideo accidens sive actus accidentalis praesupponit actum substantialem sicut subiectum, cui inhaeret. Ipsa autem potentia accidentalis sive ad accidens non habet pro subiecto potentiam substantialem sive materiam, et ideo non oportet quod ipsam praesupponat. Vel potest dici aliter, distinguendo de potentia: est enim duplex potentia, videlicet obiectiva et subiectiva. Concedo tunc quod qualem ordinem habent actus, talem ordinem habent potentiae ad illos actus, loquendo de potentiis obiectivis ipsorum, non autem loquendo de potentiis subiectivis, ut visum est. Et ibi concedo tunc quod qualem ordinem habent actus accidentalis et substantialis, hoc est accidens in actu, talem habent eorum potentiae obiectivae. Sicut enim accidens in actu est posterius substantia in actu et praesupponit (praesupponit: praesumit *cod.*) ipsam, ita consimiliter in potentia prius est substantia quam accidens. Loquendo etiam de potentia subiectiva potest adhuc concedi quod qualem ordinem habent aliqui actus, talem habent potentiae subiectivae ad illos, et hoc supposito quod ad illos actus sint potentiae subiectivae. Non enim ordo potentiarum potest esse realis, talis qualis est ordo actuum, nisi suppositis extremis ordinis utriusque. Ubi enim non reperitur potentia subiectiva, sed actus, ibi non est ordo potentiarum, licet sit ordo actuum.

Sic enim in proposito. Hic enim sunt distincti actus, videlicet substantialis et accidentalis, non autem potentiae subiectivae. Ideo, licet sit in angelo ordo actuum, non est tamen ordo aliquis potentiarum subiectivarum, cum tamen non sit in eis nisi una potentia subiectiva, quae videlicet est ad actum accidentalem.

Hoc de tertio (secundo *cod.*, sed tertio in Z 112 vb).

(Articulus quartus: Utrum talis substantia sit composita ex actu et potentia)

Quantum ad quartum (quartum: tertium *cod.*), dico quod in angelis est compositio ex actu et potentia, ut alias [*cf.* qu. 15] ostendetur. Ad rationes in principio, patet ex dictis.

Sequitur quaestio (quaestio *om. cod.*).

[28ra] Quaestio 14: Utrum in substantiis separatis possint esse plura individua in eadem specie

Viso de creatura media spirituali quantum ad eius entitatem, restat videre de eius unitate. Et quantum ad hoc, quaero **[28rb]** utrum in substantiis separatis possint esse plura individua in eadem specie.

Videtur quod non, quia ubi non est quantitas nec materia non potest esse distinctio materialis, cum ista, secundum Philosophum, V *Metaphysicae*, sint principia numeraliter distinguendi et individuandi. Sed in substantiis separatis non est materia nec quantitas; ergo etc.

Contra. Quaecumque aliqua ex opposito dividuntur, si sub uno membro illius divisionis sunt vel possunt esse plura individua sub eadem specie, et sub alio ; sed substantia dividitur per materialem substantiam et immaterialem, et immaterialis per unibilem et non unibilem, et unibilis habet sub se plura individua eiusdem speciei; ergo etc.

Circa istam quaestionem sic procedendum est. Primo enim videbitur utrum quantitas sit principium individuationis in substantiis materialibus. Secundo, utrum materia sit principium individuationis in eis. Tertio, utrum in substantiis separatis possint esse plura individua in eadem specie. Quarto, quid est de facto.

(Articulus primus : Utrum quantitas sit principium individuationis in substantiis materialibus)

Quantum ad primum, est una opinio [cf. *Godefridus de Fontibus, Quodlibet VII, qu. 5 ; ed. Ph. Hoffmans, Philosophes Belges III, p. 328*], quod in materialibus quantitas est principium individuationis. Pro ista opinione arguitur primo sic : illud, quod est de se indivisibile, non dividitur nisi per illud, quod est de se divisibile ; sed substantia est de se indivisibilis, quantitas autem est de se divisibilis ; ergo etc. Sed illud, quo natura multiplicatur et dividitur, est ratio individuationis ; ergo etc.

Praeterea confirmatur, quia omne tale non primo reducitur ad primo tale. Sed substantia non est divisibilis per se primo, sed quantitas. Ergo nec substantia dividitur nec numeratur seu multiplicatur nisi per quantitatem ; quare etc.

Praeterea, haec est intentio Philosophi, V *Metaphysicae*, ubi dicit quod quantum est quod est divisibilis in aliqua, quorum utrumque aut alterum est per se hoc aliquid. Nunc autem illud, quod dividitur et multiplicatur, oportet quod habeat partes eiusdem rationis. Hoc autem praecise est quantitas. Ergo etc.

Contra istam opinionem arguo primo sic: individuum cuiuscumque generis est unum essentialiter et per se - ordo enim lineae praedicamentalis est ordo per se. Sed illud, quod componitur ex subiecto et accidente, non est unum essentialiter et per se, sicut nec quodcumque compositum ex rebus diversorum generum quorumcumque. Ergo individuum substantiae non includit rem alterius generis cuiuscumque ; ergo etc.

Praeterea secundo : quaecumque sunt individua per aliquid formaliter unum, sunt formaliter unum. Ista patet, quoniam per unum ut unum non possunt aliqua formaliter esse plura. Sed individua omnia decem generum in eodem subiecto existentium sunt eadem quantitate quanta. Si ergo sunt individua per unam et eandem quantitatem, sequitur quod omnia erunt formaliter unum individuum. Hoc autem est falsum et contra Philosophum 5 *Metaphysicae*, ubi dicit quod quaecumque distinguuntur genere distinguuntur numero et specie ; ergo etc.

Praeterea tertio: quaecumque praecise per quantitatem distinguuntur, distinguuntur accidentaliter, non substantialiter. Sed quaecumque individua eiusdem speciei in genere substantiae

distinguuntur substantialiter. Ergo non distinguuntur nec per consequens individuuntur per quantitatem.

Praeterea, <quando> aliqua superiora e-[28va]-qualiter respiciunt sua inferiora et equaliter distinguuntur in eis et descendunt. Sed quaelibet species equaliter respicit sua individua sub se contenta: quaelibet enim species respicit immediate sua individua. Ergo et quaelibet species descendit immediate in sua individua, non mediante aliquo alio sive individuo alicuius alterius speciei; ergo etc.

Et ideo dico aliter. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod quantitatem esse principium individuationis potest dupliciter intelligi: uno modo, quod ipsa quantitas sit ratio individuandi et materialiter distinguendi intrinsece et quidditative, et sic est impossibile. Alio modo, quod sit ratio individuandi et numeraliter distinguendi non quidditative et intrinsece, sed sicut ratio necessario coexigita ad huiusmodi materialem distinctionem, et hoc dispositive et extrinsece. Et hoc etiam modo potest intelligi dupliciter, quia vel quod quantitas sit ratio simpliciter necessario coexigita respectu cuiuscumque agentis ad huiusmodi divisionem seu materialem distinctionem, vel non simpliciter et respectu cuiuscumque agentis, sed tantum respectu materialis agentis. Et isto modo, quia agens naturalis non agit nisi in quantum, ita quod necessario praesupponit quantum, ideo concedo quod naturalis agens non multiplicat formam aliquam, nec potest multiplicare in eadem specie nisi praesuppositis diversis quantitibus et diversis individuis quantis.

Tunc ergo dico, quod cum (cum : alias *cod.*, *sed cum in N*) individuum quantitatis sit posterior individuo substantiae, quod per consequens quantitas non potest esse nec est ratio intrinseca individuandi sive naturaliter distinguendi, nec etiam ratio dispositive simpliciter necessario coexigita, sed tantum respectu naturalis agentis non potentis formam educere nisi de materia quanta. Quia enim duae formae substantiales ultimae non possunt perficere simul eandem partem materiae, licet bene successive, et agens naturale non potest introducere formam nisi in materia disposita, ideo diversae formae substantiales simul existentes virtute sive actione naturalis agentis arguunt diversas partes materiae et diversas quantitates. Dico autem ‘simul’, quia successive non : eadem enim est materia numero in genito et in corrupto.

Ad primum in contrarium, quando dicitur, quod substantia non est per se divisibilis, dico quod duplex est divisio [cf. J. Duns Scotus, *Ordinatio II, d. III, q.4, § 106*]. Quaedam enim est divisio totius (totius *add. universalis in N et Rep. II B, 14ra*) in suas partes subiectivas. Alia est totius integralis in suas partes integrales quantitativas, qua quidem divisione dividitur linea aliqua duorum pedum et ex consequenti substantia sibi subiecta in suas partes. Et haec divisio est alia a priori, tum (tum : inde *cod.*, *sed tum in N*) quia prior est communior quam sit secunda - illa enim divisio totius universalis in partes subiectivas reperitur in quolibet genere, alia autem non reperitur per se nisi in genere quantitatis - ; tum secundo, quia totum universale salvatur in qualibet parte [28vb] sui per quam vel in qua dividitur, totum autem integrale non salvatur in aliqua parte sui.

Tunc ergo ad rationem, concedo quod substantia de se est indivisibilis, loquendo de divisione quae est totius integralis in partes quantitativas, et quantitas illo modo est divisibilis de se. Sed hoc non obstante, substantia est de se divisibilis sine quantitate divisione totius universalis in partes subiectivas : licet enim non possit sine quantitate actu praesupposita dividi a quocumque agente - quia non ab agente naturali, ut dictum est -, potest tamen distinguere multipliciter et dividi ab agente primo sine quacumque praesupposita quantitate.

Ad illud Philosophi : « quantum est divisibile », etc., dico quod Philosophus loquitur ibi de divisione totius in partes quantitativas (quantitativas : subiectivas *cod.*, *sed* quantitativas *in Z 113 rb et in Rep. II B, 14ra*). Et loquendo de tali, concedo quod omne aliud a quantitate dividitur per accidens, puta per quantitatem ipsam. Loquendo autem de divisione quae est totius universalis in partes subiectivas, substantia et quaelibet res cuiuscumque alterius generis est per se sine quantitate divisibilis quantum est de se, licet, quia agens naturale non agit nec educit formam nisi de materia quanta, non potest multiplicari seu dividi naturaliter ab ipso naturali agente sine praesupposita quantitate. Nec tamen ex hoc intendit Philosophus quod substantia individuetur vel distinguatur numeraliter per quantitatem intrinsece et quidditative, cum dicit 7 *Metaphysicae* [*Metaph. VII, 1, 1028a32-33 ; AL XXV-3, 133*] quod substantia est primum omnium diffinitione, tempore et natura, et per consequens individuum substantiae primum individuis generum omnium aliorum.

Hoc de primo.

(Articulus secundus : Utrum materia sit principium individuationis in substantiis materialibus)

Quantum ad secundum, est opinio [cf. Thomas Aquinas, *Super Boethium De Trinitate, qu. 4, a.2 ; De ente et essentia, c. 2*] quod materia in rebus materialibus est principium individuationis. Hoc probatur primo sic : illud, quo res potest esse et non esse, est materia, secundum Philosophum VII *Metaphysicae*. Sed illud, quo unum individuum distinguitur ab alio materialiter, est quo ipsum individuum potest esse et non esse - species enim ipsa de se non est generabilis nec corruptibilis, sed tantum individuum ; ergo etc.

Praeterea, illud quod de se est unum non dividitur nisi per illud quod de se non est unum. Humanitas vel quaecumque alia specifica quidditas de se est una ; ergo etc. Sed illud, quod de se non est unum, est materia ; ergo etc.

Praeterea, haec etiam videtur esse intentio Philosophi V *Metaphysicae*. Ibi enim Philosophus probat quod intelligentiae non sunt eiusdem speciei ex hoc, quia non habent materiam ; quaecumque enim sunt eadem specie et solo numero distinguuntur, materiam habent ; ergo etc. (ergo etc. *add.* ergo etc. *cod.*).

Praeterea, VII *Metaphysicae*, dicit quod quae distinguuntur secundum materiam, distinguuntur numero, ut mas et foemina (mas et foemina : materias et scientia *cod.*, *sed* mas et foemina *in C*) distinguuntur quippe sive dividuntur numero per materiam. Et Commentator ibidem

dicit quod causa multitudinis individuorum ab eodem agente est materia. V etiam *Metaphysicae* dicit Philosophus quod eadem numero sunt quorum materia est eadem sive una.

Sed contra istam opinionem arguo primo sic: quaecumque dividuntur sive distinguuntur in actu, dividuntur per aliquid quod est in actu [29ra], non per aliquid quod est in potentia; potentia enim numquam dat esse in actu. Sed duo individua in genere substantiae distinguuntur actualiter simpliciter. Ergo distinguuntur per aliquid simpliciter in actu. Sed materia est ens simpliciter in potentia; ergo etc.

Praeterea (praeterea : *add.* quando *cod.*), dicitur : « quando aliqua passio consequitur per se aliquid subiectum et adaequate, ubicumque perfectius reperitur ratio subiecti, perfectius reperitur ratio passionis ». Sed unitas per se consequitur ens secundum Philosophum IV *Metaphysicae*. Ergo ubicumque reperitur perfectius ratio entis, ibi reperitur ratio unitatis. Sed forma perfectius habet rationem entitatis et perfectius dat esse quam ipsa materia; ergo et magis dat rationem unitatis. Sed perfectior et maior ratio unitatis quae possit esse est unitas numeralis; ergo ista magis est a forma quam a materia; ergo etc. Confirmatur, quia unumquodque sicut se habet ad esse sic se habet ad unum sive ad unitatem consequentem esse; ergo a quo esse alicuius est principalius, ab eo est principalius eius unitas. Sed forma dat esse principalius quam materia, ergo et unum; ergo etc.

Praeterea, animae separatae distinguuntur numero. Quaero per quid: non per corpora nec per habitudines ad ipsa; ergo etc. Probatio assumpti: quod non per corpora patet, quia destructis corporibus adhuc animae separatae numero sunt distinctae. Quod non per habitudines ad corpora, probo sic: animae separatae distinguuntur actu inter se; sed (sed *add.* se *cod.*) huiusmodi aptitudo animae ad corpus sive habitudo non est actualis, sed tantum aptitudinalis: non enim est aliqua habitudo in actu animae ad corpus, nisi quando anima actu informat corpus; ergo per huiusmodi habitudines, quae non sunt in actu, non possunt animae separatae actu distingui.

Praeterea, illa quae sunt absoluta et in genere absoluto et distinguuntur absolute, non possunt distingui per aliquid relativum; sed duae animae separatae distinguuntur absolute et in genere absoluto, ergo non per aliquas habitudines.

Praeterea, posterius non potest esse ratio distinguendi prius; sed fundamentum cuiusque habitudinis est prius ordine naturae ipsa habitudo; ergo habitudo non potest sibi esse ratio distinguendi ab alio.

Praeterea, nulla aptitudo ad aliquid est magis propria huic fundamento quam illi, nisi quia hoc est distinctum ab illo; ergo haec etiam anima (anima *om. cod.*, sed *add.* in *Z 113rb et Y 91ra*) non habet habitudinem ad hoc corpus magis quam alia (alia : anima *cod.*), nisi quia haec anima est alia et distincta ab illa; ergo distinctio animarum est causa distinctionis habitudinum, non e converso; quare etc.

Confirmatur, quia in eisdem causis non potest esse circulus secundum numerum. Sed causa quia haec habitudo, puta huius animae ad hoc corpus, est alia ab habitudo alterius animae, est quia haec anima est distincta ab illa. Ergo non potest poni e converso, puta quod animae distinguantur per habitudines. Ergo patet quod, cum animae separatae per

se subsistentes distinguantur numero non per corpus nec per habitudinem ad corpora, ut probatum est, quod substantiae immateriales non distinguuntur [29rb] numero per materiam.

Praeterea, probo (probo *om. cod.*) quod haec sit contra Philosophum et contra Commentatorem. Philosophus enim, II *De anima* [*De an. II, 9, 421a 6*], dividens substantiam, dicit quod duplex est substantia : quaedam est materia, quae quidem non est hoc aliquid (aliquid *om. cod.*); alia quae est forma, quae est hoc aliquid ; et tertia quae est ex hiis, et hoc aliquod individuum. Ergo forma dat primo composito hoc aliquid, non ipsa materia, cum nec ipsa sit simpliciter hoc aliquid in actu.

Praeterea, quia (quia : quod *cod.*) Commentator in commento 8 [*In De anima, II, comm. 8*, ed. Crawford, p. 143, lin. 96-97], dicit quod individuum substantiae non est individuum nisi per formam et non per materiam. Unde et Philosophus, aliter dans differentiam inter naturalia et artificialia, dicit quod individuum in artificialibus est per materiam principaliter, in naturalibus autem per formam.

Praeterea, IV *Metaphysicae* [*Metaph. IV, 2, 1003b22-23 ; AL XXV-3, 68*] dicit quod ens et unum idem et una natura ; sed individuum est ens simpliciter et principaliter per formam ; ergo et unum.

Et ideo dico aliter. Ad cuius evidentiam, est sciendum quod ista opinio, quae ponit materiam esse causam individuationis, potest tripliciter intelligi, sicut et praecedens opinio de quantitate. Uno modo, quod materia sit praecisa causa individuationis et distinctionis individuorum sub eadem specie, et hoc est impossibile. Alio modo, quod sit principaliter causa, non tamen praecisa, et hoc etiam est falsum : quod enim non est principalis causa essendi, nec distinguendi. Tertio modo, quod materia sit causa praeexigita non simpliciter necessario nec respectu cuiuscumque agentis, sed tantum respectu naturalis ; et sic est verum, quoniam naturale agens non producit nec potest producere formam nisi de materia praesupposita. Et ideo, quia agens naturale non potest in eadem parte materiae simul introducere diversas formas, nec potest formam aliquam educere nisi de materia praesupposita, idcirco multitudo individuorum ab eodem naturali agente non potest esse nisi propter diversas partes materiae praesuppositas, cum in eadem parte materiae, ut dictum est, non possint ab agente naturali diversae formae ultimae introduci.

Et ita dico, quod materia nec est principalis causa distinctionis individuorum sub eadem specie et praecisa, nec necessario simpliciter praeexigita, sed tantum praeexigita respectu naturalis agentis.

Praeterea Commentator, II *De anima* commento 8, ut antea allegatum est : « individuum aliquod substantiae est individuum per formam et non per materiam » [Averroes, *In Aristotelis De anima II, comm. 8*, ed. Crawford (Cambridge/Mass., 1953), p. 141, lin. 54-57 et p. 143, lin. 96-97]. Confirmatur, quia secundum Philosophum ens et unum idem et una natura ; ergo a quo compositum habet principaliter suam entitatem, ab eo principaliter habet suam unitatem (unitatem : veritatem *cod.*); sed compositum in genere substantiae habet a forma principaliter suam entitatem, ergo et unitatem (unitatem : veritatem *cod.*).

Quid ergo est principium individuationis ? Dico quod individuum est enim per se directe in genere. Forma autem non est per se directe in genere, sicut nec etiam materia ; et ideo nec forma nec materia est principium individuationis. Sed huiusmodi principium sive differentia sumitur a toto sicut et quaecumque alia differentia cuiuscumque speciei vel generis subalterni, ita quod quodlibet individuum cuiuscumque generis est individuum per propriam et positivam differentiam suae speciei ipsam speciem dividentem. [29va] Sicut tamen (enim ???) ad constitutionem speciei, puta hominis, concurrunt forma sicut pars principalior et materia sicut minus principalis, ita et ad constitutionem individui, puta Sor, haec forma et haec materia, scilicet haec anima et hoc corpus, quorum utrumque est causa cuiuslibet non ex aequo, et ita causa individui sive individuationis non est materia nec forma tantum, sed utrumque.

Tunc ad auctoritates Philosophi et Commentatoris, quando dicitur : « diversa numero materiam habent », dico quod ista conclusio Philosophi, videlicet quod quaecumque diversa numero habent materiam, dependet ex duabus praemissis, quarum prima est, quod agens naturalis non potest introducere formas diversas ultimas simul (simul : facit *cod.*, sed simul in *Z 113 vb*) in eadem parte materiae ; secunda praemissio est (est *om. cod.*), quod nullum agens potest producere nec educere formam aliquam nisi de subiecto praesupposito. Ex istis autem principiis bene sequitur praedicta conclusio, videlicet quod quaecumque differentia numero necessario habent materiam. Quia autem nos ponimus alia principia, et ideo oportet nos ponere aliam conclusionem. Nos enim ponimus quod est aliquod agens, puta primum, quod non praesupponit materiam in agendo, et quod forma substantialis potest esse et multiplicari sine materia per potentiam et virtutem illius. Et ideo oportet nos aliter dicere quam Philosophus dixerit.

Tunc ergo dico quod dictum Philosophi, videlicet quod materia est causa distinctionis sicut praexigita ad ipsam, est verum non simpliciter, sed solum respectu naturalis agentis. Et per hoc patet ad omnes auctoritates Philosophi et Commentatoris.

Hoc de secundo.

(Articulus tertius : Utrum in substantiis separatis possint esse plura individua eiusdem speciei)

Quantum ad tertium, ubi videndum utrum in intelligentiis possint esse plura individua sub eadem specie, est una opinio quod non, sed quod quaelibet species habet tantum unicum individuum totam perfectionem eius continens, et ideo non potest habere plura.

Pro ista opinione arguitur, quia multitudo individuorum in eadem specie non est nisi propter conservationem speciei ; sed in separatis substantiis in unico individuo sufficienter tota species conservatur ; ergo etc.

Contra istam opinionem arguo primo, quod est articulus condemnatus sub triplici forma. Primo sic : ponere quod prima causa non potest facere plures mundos numero, error. Sed constat quod, si Deus

potest facere alium mundum ab isto solo numero differente, potest etiam facere alias intelligentias ab istis, qui nunc sunt, solo numero differentes. Si enim faceret alias species ab istis, iam iste mundus non esset eiusdem speciei cum isto (illo ?), cum huiusmodi substantiae separatae sint partes principales universi. Secundo, est articulus excommunicatus sub ista forma : quod Deus non potest facere plura individua in eadem specie sine materia, error. Tertio, sub ista forma : quod Deus non potest facere plures intelligentias in eadem specie, error.

Et ideo dico, quod possunt esse plures intelligentiae in eadem specie, et hoc teneo non solum propter articulum, sed etiam propter rationem.

Unde probo hoc primo sic : si in intelligentiis non possent esse plura individua sub ea-[29vb]-dem specie, hoc non esset, nisi quia non habent materiam nec quantitatem. Sed hoc non obstat, ut patet de animabus a corporibus separatis ; ergo etc.

Praeterea, intellectus affirmans idem de seipso (eodem ?) vel etiam negans, ut dicendo « homo est homo » vel « homo non est homo », habet simul duos conceptus sive actus intelligendi solo numero distinctos ; ergo distinctio numeralis non fit per materiam nec per quantitatem. Consequentia patet, quia huiusmodi actus sunt in eodem subiecto numero. Sed probo consequens, et primo quod intellectus habet duos actus distinctos numero, quia ubi est tantum unus actus numero, ibi nulla potest esse actuum compositio nec divisio; sed hoc dicendo : « homo est homo », est vera compositio, et hoc dicendo : “homo non est homo”, est vera divisio; ergo etc. Et hoc est etiam quod dicit Philosophus VI *Metaphysicae*, quod intellectus dicendo idem de eodem utitur uno ut duobus. Non utitur autem uno ut duobus, nisi quia de eodem obiecto habet duos actus ; quare etc. Quod autem huiusmodi actus sint eiusdem speciei patet, quia sunt de eodem obiecto et sub eadem ratione formali.

Praeterea, illud quod ad sui esse non requirit materiam, nec ad sui divisionem ; sed substantia sive forma immaterialis per se subsistens non requirit ad sui esse materia ; ergo etc.

Praeterea, accipio fundamentum oppositum fundamento quod ipsi accipiunt et arguo sic: omne individuum cuiuscumque speciei non comprehendens in se totam perfectionem suae speciei compatitur secum aliud individuum in eadem specie; omnis enim species non comprehensa tota ab aliquo individuo est plurificabilis in pluribus individuis. Sed nulla intelligentia citra primam est comprehensa secundum totam suam perfectionem suae speciei ab aliquo individuo; ergo etc. Probatio minoris: quanto aliqua species est illimitatior et perfectior, tanto individuum comprehendens eius totam perfectionem est illimitatius; sed intelligentia est perfectior vel saltem non est imperfectior natura specifica hominis ; ergo nec individuum comprehendens totam eius perfectionem erit imperfectius individuo comprehendente perfectionem naturae specificae hominis ; sed tale individuum, si poneretur, esset infinitum (infinitum *add. in vigore in Rep. II B, 14va*); ergo etc. Probatio assumpti, puta quod huiusmodi individuum totam perfectionem hominis comprehendens esset infinitum in actu, quia tale individuum tantum in actu esset (esset *om. cod., sed add. in Z 114 ra*) quanta sunt omnia individua speciei in potentia ; sed ista sunt infinita in potentia ; species enim plurificabilis in

pluribus individuis non determinat sibi numerum aliquem individuorum ; ergo etc.

Et ita sequitur quod, si angelus movens caelum containeret totam perfectionem suae speciei, esset infinitus in actu ; et cum agens sive movens infinitae virtutis moveat mobile in instanti, per consequens sequeretur quod angelus moveret caelum in instanti. Nec potes hic fugere, sicut fugit Commentator, dicendo quod, licet primus motor sit infinitae virtutis, tamen movet successive, non in instanti, propter finitam virtutem motoris coniuncti [30ra] et immediati. Talis, inquam, fuga non habet locum in proposito, cum ponatur uterque motor virtutis infinitae, tam separatus videlicet quam coniunctus ; ergo etc. Dico ergo quod in substantiis separatis a materia possunt esse plura individua sub eadem specie.

Et quando dicitur quod non, quia individuatio et numeralis multitudo seu distinctio sit per materiam, dico quod non est verum nisi tantum eo modo quo superius dictum est, et tantum in illis quae habent materiam partem sui ; in aliis autem, quae non habent materiam partem sui, non est verum . Quod enim non dependet a materia quantum ad esse, nec dependet ab ea quantum ad distinctionem. Unde et si Philosophus concessisset et vidisset quod primum agens potest producere non de aliquo subiecto praesupposito et (et *om. cod.*) potest etiam quamcumque formam absolvere a materia, numquam posuisset formam distingui seu dividi per materiam.

Hoc de tertio.

(Articulus quartus : Quid sit de facto)

Quantum ad quartum, prout videlicet sit de facto, utrum sint sub eadem specie plures de facto vel non, credo quod de facto sunt plures sub eadem specie. Mirum enim videtur quod tot milia milium angelorum, quot ponit esse Scriptura, essent diversarum specierum.

Praeterea, probabile est quod omnes angeli deputati ad custodiam hominum - quilibet enim homo habet angelum custodem sibi deputatum - sint eiusdem speciei, sicut et ipsi homines ad quorum custodia deputantur seu ordinantur.

Praeterea, probatum est quod plures angeli possunt esse in eadem specie . Nunc autem, si esset unicum solum individuum hominis, illud sciens posse esse secum aliud individuum eiusdem speciei, numquam existens solitarium videtur esse consolatum ; omne enim animal politicum naturaliter diligit sibi simile. Et multo magis individuum naturae rationalis sive intellectualis quanto perfectius, tanto perfectius naturaliter diligit sibi simile in specie. Et ita magis quilibet angelus videtur esse consolatus habens sibi similem in specie quam si solus esset, nullum eiusdem speciei secum habens ; quare etc.

Praeterea, quod tot homines eiusdem speciei sint beati, si non esset nisi unicum individuum sub una specie in substantiis separatis, nulla videtur esse correspondentia nec proportio hominum et angelorum, quare etc.

Unde etiam dico quod magis esset probabile quod omnes substantiae separatae immateriales ponerentur esse eiusdem speciei, sicut

et omnis substantia intellectualis materialis, puta homo, quam ponere quod omnes sint diversarum specierum. Hoc tamen (mihi ?) videtur. Quid sit de facto, Deo notum est.

Ad rationes in principio patet ex dictis.

Sequitur quaestio.